DE

ILEO E DIVERTICULIS, ADIECTA MORBI HISTORIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE SIBI CONCILIANDIS
DIE XIV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS FALK
POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

S. HANTKE, MED. ET CHIR. DD.
D. ROSENKRANZ, MED. ET CHIR. DD.
H. SCHWEITZER, MED. ET CHIR. DD.

ACCEDIT TABULA.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

FRATRIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS,

M. W. FALK,

NEC NON

M. B. GUHRAUER,

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum dissertatiunculae conscribendae argumentum circumspicerem et minus arduum et tironis viribus magis consentaneum, quam felicissime mihi sese obtulit Ileus diverticulo exortus, sub auspiciis clarissimi praeceptoris Wolff accuratissime observatus, cujus descriptionem Lectori benevolo eo libentius hic trado, quo minus mihi contigit, ut similem quendam casum in disciplinae nostrae annalibus adnotatum deprehenderem. Ubicunque enim Ileus e diverticulo ortus obvenit, intestinorum volvulus ejusmodi adfuit, ut constrictio nodosa primam morbi causam suppeditaret; at vero in casu a me prolato mera diverticuli adhaesio et tensio intestini meatum occlusit.

Quas differentias quo magis perspicuas redderem, omnia a scriptoribus de diverticulis similibus tradita collegi et phaenomenis, quae tum decursus morbi, tum pars affecta post mortem ostenderunt, sincere descriptis et tabula illustratis, huic Ilei causae quodammodo eruendae operam impendi.

Ac vos quidem L. B. ut hasce qualescunque pagellas humaniter excipiatis, omni, qua par est, observantia rogo.

Diverticulum per se haud dubie nullas affert turbationes functionum intestinalium, quia musculorum fibris instructum, alimenta non ultra, quam convenit, retinet. Sed cum vasa adhuc adsunt umbilicalia, et tanquam filamenta in cavitate abdominis pendent, tum per conglutinationem cum aliis abdominis organis volvulum efficere, vel, uti hoc in casu singulari, abdominis tegumentis adnata, sola tensione mortem inducere possunt. Sic van Doeveren (1) in cadavere mulieris, annos circiter 40 natae, quae per biduum Ileo laboraverat, eoque obierat, distans circiter cubitum unum a Coeco, in Ilei parte Mesenterio opposita, diverticulum observavit sacciforme, amplo orificio cum intestino communicans, 4 poll. longum, eadem fere, qua intestinum capacitate, in principio tamen aliquanto coarctatum, dein ex colli specie in saccum ampliorem, tandemque in finem sive extremum tenuius et coecum desinens. Ab ejus coeco extremo prodibat species funiculi admodum tenacis, substantiae fere ejusdem, quae in ligamento hepatis rotundo, aliave simili parte occurrit, qui funiculus, lineae circiter crassitiem aequans, dextrorsum adscendebat et firmiter adnectebatur parti laterali sinistrae Coeci, ut aeque ab hoc atque ab Ilei appendice oriri videretur, omnem Ilei partem, ab appendice usque ad Crassi principium, arctissime constringens.

---

(1) Gualt van Doeveren. Passio Iliaca subito lethalis, a mirabili Intestini Ilei incarceratione interna; ejusque membranarum prolapsus valde singularis. Spec. Observat. Acad. Groning. et Lugd. Bat. 1765. Cap. 5. §, 4. seq. pag. 79. seq. Invenitur et descriptio haec una cum diverticuli delineatione in Sandifort. Musei anatom. Vol. 1. Sect. III, p. 121. N. CLXXX.

In Archivis anatomico-physiologicis J. Mülleri a Prof. Dr. Eschricht duo enarrantur casus incarcerationis, quorum alter maximam habet similitudinem cum nostro, sed volvulus hocce in casu aderat.

Primus quidem casus hic erat. Aegrotus Ileo per octo laborabat dies, causae ante mortem non innotuerunt, sectio haec obtulit: »*Das Divertikel hatte die Länge von 3 Zoll, eine Breite anfangs von ½ Zoll, verengte sich aber in seinem letzten Drittel allmälig und verwandelte sich in einen ungefähr 3 Zoll langen soliden Strang, der sich kreisförmig umbiegend in's Gekröse unweit der zum Ursprunge des Divertikels gehörenden Stelle inserirte. In die hierdurch gebildete Schlinge hatten sich 3 Darmwindungen hineingeschoben.*« Similem reperimus casum, quem Meckelius in libro de Anat. path., casum a Sandifortio observatum describens, narrat. Sine conglutinatione diverticuli cum umbilico adesse potest incarceratio. Sandifort (1) nempe in Observat. Libro I. descripsit et delineavit diverticulum ex infante recens nato, quod ab Ilei parte, mesenterio opposita, amplo admodum nascebatur ostio, in coecum finem desinens, ejusdem circiter capacitatis, ejusdem crassitiei, quod ad tunicas atque intestinum ipsum, facillime aërem admittens, illoque distentum, apice incurvatum. Ex illo apice filum enascebatur tenue, fortasse tamen ad superiorem Mesenterii partem tendens, eique diverticulum hoc adnectens.

Alter casus Eschrichtii: »*Es fand sich eine ziemlich ähnliche mehrfaltige Verwickelung der Därme mit ähnlichen Strängen, nur dafs hier zugleich so wohl das Divertikel als die obliterirten Nabelgekrösgefäfse an der Nabelstelle ansafsen.*« Etiam Dr. Ulrich enarrat casum (*Medicinische Zeitung herausgegeben von dem Verein für Heilkunde in Preufsen. 3. Jahrgang. Nr. 32.*). Casus alter Eschrichtii magnam habet similitudinem cum nostro, verumtamen in hoc nullus aderat volvulus, sola expansio Ileum morbum evocabat. Filum, seu ligamentum non umbilico, sed tegumentis

---

(1) E. Sandifort. De Appendice ex intestino Ileo enata. Observ. Anat. Path. Lugd. Bat. 1777. L. 1. cap. X. p, 123. seq. Tab. VIII. Fig. 8.

abdominis, pollicem circiter unum ab umbilico affigebatur. Quodsi igitur omnes casus comparas cum adjacente similes quidem plures, sed nullum plane eundem invenies.

Sequentibus libris nullum inveni casum, ubi sola diverticuli tensione Ileus ortus.

Fred. Ruyschii Thes. Anat. 7us. N. XV. Observ. Anat.-Chirurg.

Luc. Schroeckius, saecul. in intestino Ileo. Acad. Caes. Leop. Carol. Nat. Cur. Ephem. Norimb. 1719.

Sammlung von Natur- u. medic. Geschichten von einigen Acad. Nat. Cur. in Breslau. 1721.

Jo. Zwingerus Appendix praeternaturalis coeca intestini Ilei. Norimb. 1727.

Jos. Weitbrecht Observationes anatomicae. Petropoli 1735.

Just. Godofr. Gunzi observ. anat.-chirurg. de Herniis. Lips. 1744.

Joan. Bapt. Morgagni advers. anat. Venet. 1762.

Sam. Chr. Lucae, Beschreibung eines merkwürdigen Divert. am Darmkanal eines jungen Mannes, in Abh. der phys.-med. Soc. zu Erlangen. B. II. Nürnberg 1812. *p.* 17.

Carl Asm. Rudolphi, anat.-phys. Abhandl. Berlin 1802. p. 55.

Adolf Wilh. Otto, seltene Beob. zur Anat., Phys. u. Pathol. 1. *H. Breslau* 1816.

Joannes Gottl. Walter, museum anatomicum. Berolin. 1805.

Perillustr. J. F. Meckelius plurimis locis de diverticulis agit, praecipue autem sequentibus:

Beiträge zur Geschichte des menschlichen Foetus, in seinen Beiträgen zur vergleichenden Anatomie, Bd. I, Hft. I. Leipz. 1808 *u. B. I, H. II. Leipzig* 1809.

Ueber die Divertikel am Darmkanal, in Reil u. Autenrieth Archiv für Physiologie, Bd. IX, Hft. III. Hall. 1809.

Handbuch der patholog. Anatom. Bd. I. Leipzig 1812.

Tabulae anatomico-pathologicae. Lipsiae 1822.

Mentonis Antonii Hendriksz, commentatio de diverticulis. Groningae 1828.

Quum herniae incarceratae similitudinis quidquam alant cum diverticulis, utpote quae ex his originem ducere, et hac ratione Ileum proferre possint, nonnulla de illls hic disserere liceat. *J. F. Meckelius, path. Anat. B. I. S.* 594 dicit: *Bei Entstehung eines Bruches fällt die Stelle des Darms, an welchem ein solcher Anhang sitzt, leichter vor, als ein anderer Theil des Darmkanals.*

Primum Litrius *) in cadavere viri 48 annorum herniam inguinalem sinistram observavit, omnino diverticulo formatam. Ab Ilei scilicet parte, mesenterio opposita, per annulum abdominalem usque ad scroti fundum descendebat canalis membranaceus, 4 poll. longitudine, figura conoïdea, in parte superiore (prope intestinum) 1 poll. 4 lin., in parte opposita, inferiore, 2 poll. latitudine. Extremitas superior, ob situm in annulo ad latera compressa, in Ilei cavitate sese aperiebat; extremitas inferior ampla erat, clausa atque rotunda, in eaque observabantur duo tubercula globosa, alterum in latere dextro, in sinistro alterum, utrumque diametro fere 4 lin. Parietes canalis hujus membranacei admodum erant tenues, ut nec fibrae musculares nec glandulae in eo detegerentur: tantum nonnulla aderant vascula, quae tamen etiam erant tam subtilia, ut vix in sensus caderent. Idem alterius observationis mentionem facit in homine, qui correptus fuerat hernia inguinali dextra, appendicem continente glabram, figurae conicae, cujus basis ad intestinum vergebat. Paululum infra annulum abdominalem appendix illa in parte antica et postica erat compressa, fortassis a perizomate, quo per duos annos usus fuerat homo. Processus hicce, 3 poll. 8 lin. longitudine, in principio 1 poll. 2 lin. in fine 10 lin. latitudine erat. — Hac de causa Litrius, qui diverticula semper in herniis observavit, eam sententiam de ortu diverticulorum protulit, ut ab eadem causa et diverticulum et herniam pendere judicaret. Mery **) in cadaveris her-

---

*) De Litre, observations sur une nouvelle espèce de hernies. Memoir. de l'acad. Royal d. sc. Ann. 1700. Sec. Ed. Paris 1761 pag. 300 seq. cum adjecta diverticuli delineatione.

**) Mery, observat. sur les hernies, in Mém. de l'acad. Royal des Sc. An. 1701. Sec. Ed. Paris 1743. Première observ. pag. 274 seq.

nia scrotali dextra diverticulum observavit, 2 vel 3 poll. long., 1 poll. ampl. Processus hujus cavitas cum ilei cavo coibat, membranae autem multo erant crassiores, quam ilei tunicae, vasa magis turgida, ut rubro brunneo colore gauderet diverticulum; pars quoque intestini, in sacco herniae contenta, multo erat crassior, quam reliquum ileum.

Wrisberg *) depinxit ilei diverticulum, omnino extra annulum abdominalem post mortem inventum, cylindricum, $2\frac{1}{2}$ poll. longum, ejusdem atque ileum capacitatis, ad angulum prorsus rectum ab intestino discedens, glandulae Peyerianae in eo erant conspicuae, ut et vasa ex arteria meseraïca prodeuntia.—Herniae e diverticulis originem trahentes, non semper herniarum proferunt symptomata. Itaque, licet hernia adsit, alvus tamen soluta esse potest. Aeger vel parum vomit vel nihil, abdomen minus tensum et inflatum, raro singultus exstat. Inflammatio, dolores et omnia symptomata hernias subsequentia incarceratas minori cum vehementia apparent, quam aliis intestinorum partibus incarceratis. Illa symptomata a Litrio (Mém. de l'ac. des sc. 1700. p. 391) recte quidem commemorata sunt, at essentialia existimari non possunt. Hasenoehrlius enim in istiusmodi incarceratione obstructionem observavit (Hist. morbi ejusd. adj. obs. an. decas. sec. in Sandifort. thes. diss. V. I. p. 112).

HISTORIA MORBI.

Guilelmus Schulz, tonsor, XX annos natus, juvenis robustus et sanitatis speciem prae se gerens, usque ad diem septimum mensis Maji a. MDCCCXXXV ab omni parte bene valuit, nec ulli, ut ipse retulit, injuriae sese commisit, ex qua morbus postea ortus derivari posset.

D. VII. Maji, hora matutina tertia, dolores abdominis aegrum somno excutiebant vehementes torquentesque; nihilominus negotiis fungi perrexit, quibus sub horam x tum demum sese abstinuit, quum adau-

*) Gedanken und Beobacht. über die Brüche. Lodes Journ. f. d. Chirurg., Geburt. u. gerichtl. Arzneikunde. Bd. I. St. 2. Jena 1794. p. 184. Tab. IV b.

cti essent dolores, et debilitas adeo increvisset, ut pedibus vix insistere posset.

Itaque in lecto aeger detinetur, et chirurgus quidam arcessitur, qui dolorum fontem in sordibus gastricis collocans, emeticum sumi jubet. Quo adhibito pluries quidem aeger vomit, reliquus status autem eo exacerbatur, ut prae doloribus tegminum pressionem ferre nequeat. Haud minus illos cognata quaedam exasperat, cujus in domo aeger versatur, quippe quae, ut dolores leniat, linteo quam arctissime potest, abdomen constringat.

Alter medicus tunc arcessitus ob alvum inde a sexto Maji non solutam salia praescripsit purgantia, at sine ullo fructu: vomitus enim vehemens continuusque reliquam aegroti conditionem in pejus vertit.

D. IX. aeger ad nosocomium caritatis delatus, haecce exhibuit phaenomena:

Inquietem et anxietatem modicam, faciem rubram, solito non calidiorem, haud collapsam. Oculos, nec concavos, nec vasorum injectione naturalem magnitudinem superantes, reliqui corporis temperiem normali haud majorem, cutem mollem, pulsus parvos, molles, frequentes (100), linguam humidam, muco albo flavescente in tota superficie oblitam, abdomen non turgidum, at tensum, et fortiori pressione, praecipue in regione epigastrica et mesogastrica sinistra, valde dolorificum.

Alvus jam ex triduo obstipata erat, etsi purgantia et clysmata in usum vocata essent. Lotium regulare, sitis permagna, appetitus ciborum nullus, respiratio alta, tarda, sed regularis, haud difficilis apparebat.

Ex collectis aegri responsis haec tantum notanda censemus.

Nullo antea laboravit morbo, si affectionem excipias abdominis, quam ante sex annos perpessus est, nec aliud symptoma illius quam alvi obstructionem pertinacissimam meminit. Ceterum se novem menses in lectulo detentum fuisse tradidit, postea sanum modo spasmo tonico esse vexatum, qui, unicum morbi residuum, nunc pedem affecerit dextrum, nunc brachium, nec amplius momentis aliquot duraverit.

Interea symptomata, cum minus inter se respondeant, certae obstant diagnosi, et, donec accuratior nobis obtigerit observatio, metho-

dum modo symptomaticam admittunt. Quam ob rem hirudines xx abdomini applicantur, loca cruenta cataplasmatibus emollientibus obteguntur, et, clysmate aperiente adhibito, haec formula praescribitur:

℞ Emuls. ricinos. (℥j) ℥vj
Aq. Laurocer. ʒjj
Magn. sulph. ℥ß
Syr. simpl. ℥j

DS. Singulis horis cochlear majus.

Cum vero duae illius mixturae doses vomitum cierent, et sponte, haud multo post, materia ejiceretur flava, subliquida, fere inodora, elapsa nocte jam duas adaequans mensuras, nec clysma ullum proderet effectum, de Ileo nobis agendum esse perspectum habuimus, et medicamen illud seponendum curavimus.

Ad qualem Ilei speciem morbus referri debeat, nondum liquet.

In Ileum inflammatorium nec causae, quae conjici possint, nec decursus morbi, nec symptomata ejus quadrant.

Pulsus enim non tam frequentes, duri tensique sunt, ut in inflammatione observantur, nec in illam lingua non sicca, urina non rubra, facies haud mutata, oculi non retracti, conveniunt.

Herniam igitur internam, vel volvulum suspicari aptius nobis aestimatur.

Primam noctem aeger in nosocomio insomnis transegit, vomitu enim crebro, etsi non nimis, difficili, et ventris doloribus admodum vexabatur. Vespere pulsus attollebatur, major enim et plenior, non frequentior, reddebatur.

D. x. Maji. In universum status fere idem; accessit vomitus stercoreus, quo plus duabus liquoris flavi, turbidique mensuris, sedimento faeculento, similique odore praediti ejiciebatur. Praeterea singultus irruit, aegrotum misere crucians, doloribus abdominis haud mitescentibus. Proinde loco affecto xv hirud. off. applicatae. Clysma aperiens sine effectu reddebatur. Ad singultum mitigandum aegrotus obtinuit

℞ Ol. amyg. am. aeth. gtt. v.
Sacch. alb. ℈v
f. p. div. in part. aeq. № x
Sing. hor. pulv. I sumatur.

Hanc medicinam bene tulit aeger, quippe quae vomitum non exasperaret, et singultum, quoties intravit, sedaret.

Pro potu afferebatur aqua gelida, quam non minus sine incommodo aeger sustinuit. Exacerbatio vespertina nec temperie cutis, nec pulsu nec affectione locali manifestabatur.

Per noctem aeger inquiete agitatus non dormivit. Singultus jam hora vespertina nona cesserat; vomitus vero idem.

D. XI. M. Embrocationes frigidae sex, abdomini applicatae (Douche) et fomenta e glacie parata ne minimam quidem morbi mutationem proferre valuerunt; nec enema aperiens

℞ As. foet. ʒjj
Vit. ov. unius
Inf. samb. ℥v
f. l. a. em.

ullum effectum praestitit.

Ad miseram aegroti conditionem sublevandam usus Elaeosacch. Amygd. am. aeth. et aq. glaciae continuabatur. Interdum pauxillum glaciei dabatur hauriendum. Pulsus magnus, mollis, sat plenus et frequens (ictus CIV). Facies antea non mutata vespere collabi incepit, angorem et inquietem exprimens internam, cutis mollis calore vix normam excedens. Abdomen tensius quam heri, meteorismo inflatum, et fortiori tactu ut antea dolorificum; urina limpida, flava, levi nubecula praedita. Alvum non deposuit aeger. Lingua haud mutata erat, muco multo albescente obtecta. Noctem insomnis transegit aeger ob inquietem, dolores periodice augescentes, sitim torquentem et vomitum crebrum. Materia intra horas XXIV vomitu reddita, mensuras VI—VII explevit, flava fuit ac turbida, sedimento crasso, odore faeculento insignis.

D. XII. M. Pulsuum frequentia minuta (ad XC ictus), dum cutis, lingua, lotium, alvi obstructio eundem statum indicabant. Copia mate-

riae usque ad horam matut. IX ejectae ½ mensuram adaequavit, et eandem, ac prius, naturam ostendit. Continuatis cataplasmatibus e glacie paratis, hora matut. IX ad canalem intestinalem pervium reddendum interne

Mercur. viv. ℥ij

adhibitae sunt, quibus sumtis vomitus statim irruit, mercurii tantum ℈j —jj emittens, etsi aeger omnibus viribus eam supprimere contenderet. Hora matutina duodecima obtinuit aeger:

Mercur. viv. ℥iv.

Nauseam hac dosi affectam suppressit aegrotus. Cum effectus medicaminis desideriis non responderet nostris, vespertina hora VII dosis porrigebatur tertia

Mercur. viv. ℥vj

quae alium effectum non exhibuit, quam gravem abdominis oppressionem usque ad extremam vitam dolores aegrum vexantes, et sensum aquae corporis motu fluctuantis. Tum aegro exhibitum est clysma opiatum (Opii pur. gr. iv) sed elapsis decem horae minutis, iterum emissum. Quamobrem vespere alterum clysma cum tribus opii granis adhibebatur, quod majori parte aeger retinuit. Interne accepit:

℞ Morph. acet. gr. j

Sacch. alb. ℈jj

M. f. p. div. in 8 dos. aeq.

DS. bihor. pulv. unus sumatur.

Qui pulveres (dosis octavam grani partem continebat) ab aegro ferebantur.

Pulsus jam matutino tempore tensionem aliquam ostentans, vespere magis tensus erat nec non frequentior, ita ut venaesectionem instituì oporteret, qua tensio illa minuebatur et aegro quies restituebatur. Jam post meridiem cutis calida, ad transpirationem propensa videbatur, et, balneo tepido adhibito, sudore madebat. In balneo, post venaesectionem administrato, fere deliquium animi passus est aeger, pulsus post balneum sat magnus, mollis, debilior autem et frequentior (ictus c) evasit. Venter ut heri aëre inflatus, manu pulsatus sonum edidit, tensus.

Oculi languidi et retracti, facies magis collapsa, ab hora x usq. ad h. xii vomitu ℥vi—viij materiae reddebantur. Nona hor. vesp. somno se dedit aeger usque ad xi perduranti, et ab xi—iii reliquam noctis partem vigil quidem, sed tranquillus egit. Vomitus per noctem non rediit.

D. xiii. Hodie Morphium acet. p. d. nimirum grani octav. partem, in usum vocavimus, fomenta e glacie parata, balneum tepidum, clysmata opiata (duo grana opii) administravimus et per cubiculum ambulandi veniam aegroto dedimus, ut eo forsan modo Hydrarg. effectum suum praestaret. Clysmata ambo retinuit aeger, at alvum non deposuit. Ambulatio illa aegrum defatigavit, sudores ciens partiales, at nullum tulit commodum. Balneo adhibito sudor tepidus, levis super totum corpus dimanavit, quem somnus per plures horas subsecutus est.

Aeger hodie minus promptus alacerque fuit, quam antea; externa difficilius lentiusque percepit et interrogatus tarde verbis interceptis respondit. Haec omnia ad sensorium affectum referenda rati sumus. Ut plurimum in lectulo jacuit oculis semiclausis, facie maxime collapsa, retractis oculorum bulbis et annulis lividis ad inferiorem orbitam circumscriptis. Pulsus debilior, minus frequens, cutis faciei sudore madida, reliquum corpus calore naturali fuit et siccum. Abdominis dolores periodice accreverunt ad gradum summum, et paulo post mitiores evaserunt.

Ex hodierna abdominis exploratione patuit partes ad umbilici dextrorsum jacentes sensilitate reliquis praestare, et meteorismum adauctum esse.

Post meridiem vomitus interdum accessit in totum ℥v liquoris explens, qui a materie antea ejecta, foetore deficiente, sapore amaro, et colore herbaceo facile distinguebatur. Insecuta nocte aeger per horam unam dormivit, reliquum tempus nocturnum inquietus transegit.

D. xiv. M. Ingravescunt collapsus faciei, pulsuum debilitas et pathia aegroti nec non sensilitas abdominis. Vox aegroti tremula, tarda, singula verba non distincte articulata. Cutis, lingua, lotium, obstructio alvi ut antea. Fomenta e glacie seposita sunt, Morphii acetici, clysmatum aperientium, et balneorum tepidorum usus continuatus. Modice

sudavit ex balneo superior pars corporis. Vespere increvit aegri inquies, tensio abdominis et sonitus tympaniticus; extremitates superiores frigidae, marmoris instar, frigidis oblitae sudoribus; eodem fere modo frons, genae, pectus sese habebant; facies magis collabitur. Ad quaestiones propositas aeger magno cum negotio, nec satis apte respondit.

Usque ad tertiam horam matutinam d. xv. M. magna aegrotus vexabatur inquiete, tunc nactus tranquillitatem, hora IV., emissis ex ano unciis aliquot faecum normalium, vita decessit.

Sectio cadaveris.

Recluso abdominis cavo, intestinum tenue, ad volumen triplo majus aëre extensum cum impetu erumpebat, vasis venosis per anastomoses subtilissimas sanguine nigricante ita infarctis, ut intestini laquei superficiales primo oculis oblati, speciem rubro-fuscam exhiberent. Pars intestini tenuis, per longitudinem $1\frac{1}{2}$ pedis proxime distans a latere parietis ventris postico et ad umbilici sinistram posita, intus extusque per totum circuitum fusco et livido tincta erat colore (Fig. *a—b*). Cujus membranae aliquanto solidiorem exhibuerunt texturam, quam normali statu, qualis intestinorum partibus in herniis jam per aliquod tempus incarceratis, at nondum gangraenosis, competere solet. Pars intestini superior, ad ventriculum vergens, modo in singularibus superficiei externae serosaeque locis notata videbatur maculis et striis rubro-fuscis et exsudato obrutis semipellucido coagulatoque. Inter membranas intestini crassi tenuisque contiguas parco exsudato lymphatico effecta levis perspicua erat conglutinatio, quae vero blandius distracta solvebatur, nec ullum, nisi in striis, vasorum evolutionis aut organisationis prodidit vestigium. Et omentum venosis vasis ad tenuissima lumina extensis ruborem obtulit abnormen. Attamen vero inflammationis signa nusquam sese manifestavere. Ventriculi tunica mucosa, pariter ac duodeni, rubescebat. Rubor, a fine Ilei usque ad medium jejunum subfuscus, in istis partibus, quae, ob magnam aëre inductam amplificationem, cavo abdominis patefacto a ventris integumentis proxime aberant, cacao tabulae instar coloratus apparebat. Ibidem tunica mucosa condensata videbatur, haud

emollita, caeterum normalis texturae. Illa vero intestini amplificatio ruborque, 2 ped. supra valvulam coli, eo in loco defecerunt, ubi *Diverticulum* (Fig. *h*) a margine intestini libero descendebat. Inde Ilei pars inferior (Fig. *c*) pallida, nec aëre extensa, sed collapsa, ad colon vergit. Hydrargyrum ab aegroto sumtum, globulis minutissimis, per intestinum a duodeno ad inferiorem Ilei partem sparsis, se prodidit, pondere uncias fere duas adaequans. Retracto intestino, cujus hucusque modo superficies incisa erat, magna hydrargyri moles (6—8 ℥) in cavo abdominis, circa lienis regionem reperiebatur, quae, ut opinor, ex intestinis ipsis defluxerat, id quod locus, ubi reperiebatur, et symptomatum absentia, quae inter vitam eo produci solent, comprobavere.

Causa efficiens morbi in inferiori parte ilei 2 ped. ab insertione ejus in colon distante, in conspectum prodiit. Loco jam descripto, ad marginem liberum intestini vitium fabricae exstitit. Diverticulum (Fig. *h*) nempe oblongum (4½ long.) tenue, (diametrus in inferiore parte 1 poll., in apice ½ poll. patebat) cum tubo intestini directe communicans. Ab apice ejus ad internam abdominis superficiem (ab umbilico 1 poll. dextrorsum distans), conjunctio pseudo-membranosa solida, ligamentosa, longitudinem habens 1½ poll. (Fig. *i*) protendebatur. A mesenterio ad diverticuli superficiem ejusque apicem transversim super Ileum plura vascula decurrebant, quorum unum amplioris luminis (¾ lin. Fig. *k*) sub inferiori fine intestini praeter modum extensi positum erat. Per hoc igitur vas tensio ab apice diverticuli solidi, ventris parieti adnati, ad mesenterii insertionem pergebat, ita quidem, ut vasis inter abdominis parietem mesenteriumque admodum tensis et super ileum transversim discurrentibus, hocce intestinum compressum planumque videretur. Constrictionem igitur veram ibi adfuisse, non solum partium situ, sed eo quoque confirmatum est, quod intestinum ibidem superne aëre extensum (Fig. *a*), inferne vero (Fig. *c*) collapsum erat, et faeces nonnullas continuebat. Solus iste, contentorum intestini descensum intercipiens, pariter quidem ac superior pars fusco rubore insigniebat, at neque manifeste inflammatus nec gangraenosus; praeterea sublata diverticuli tensione, per locum antea constrictum facili negotio digitus transmitti poterat.

Reliqua abdominis viscera solita gaudebant conditione naturaque. Nihil anomali in organis pectoris reperire licuit, quam quod cordis ventriculus dexter sanguine purpureo valde distentus erat.

EXPOSITIO TABULAE.

a) Ileum 2 ped. supra valvulam coli, e regione loci, ubi diverticulum secedit. Intestinum triplo majorem amplitudinem habet, quam normali statu.

b) Locus intestini tenuis superior dissectus; superficies interna tunicae mucosae rubro fusca in conspectum venit.

c) Locus intestini tenuis sub insertione Diverticuli collapsus.

d) Transitus ilei in coecum.

e) Processus vermiformis.

f) Coecum.

g) Colon ascendens dissectum.

h) Diverticulum.

i) Ligamentum pseudo-membranosum, quo diverticulum interno abdominis parieti affigitur.

k) Arcus venae mesaraicae, ex qua vas per totam diverticuli longitudinem ad ligamentum pseudo-membranosum porrigitur.

l) Dextrum latus dimidii inferioris parietum abdominis in linea alba dissectorum.

m) Musculus rectus abdominis dextri lateris discisus.

n) Musculus abdominis transversus dissectus.

o) Musculus obliquus internus persectus.

VITA.

Ego *Josephus Wolff Falk*, Posnaniensis, patre optimo *Wolff Falk*, quem mihi ereptum lugeo, matre carissima *Dorothea* e gente *Henscheliana*, qua superstite gaudeo, die XIV. m. Julii a. millesimi octingentesimi decimi natus. Veteri fidei addictus sum. In Gymnasio Posnaniensi doctrinis omnibus, quae ad studia academica viam muniunt, imbutus sum. Maturitatis testimonio mense Octobri a. MDCCCXXXI Berolinum me contuli, ubi ab Ill. *Boeckh*, t. t. fasces academicos tenente, in civium academicorum numerum receptus, et a Beato *Rudolphi*, t. t. Decano spectabilissimo, medicinae studiosis adscriptus sum. Per quadriennium autem hisce interfui lectionibus: Ill. *de Raumer* de historia universali; Ill. *Gans* de philosophia juris nec non de historia recentiori; Beat. *Hegel* de philosophiae historia; Beat. *Rudolphi* de encyclopaedia et methodologia medica; Ill. *Schultz* de botanice theoretica et medica una cum observationibus et excursionibus; Ill. *Schlemm* de osteologia, de sensuum organis, de corporis humani anatomia. Idem in cadaveribus secandis benevolentissimus fuit dux; Cel. *Zumpt* de Ciceronis orationibus; Ill. *Mitscherlich* de chemia experimentali nec non de zoochemia; Ill. *Erman* de magnetismo et electricitate; Cel. *Beneke* de introductione in philosophiam; Ill. *J. Mueller* de physiologia nec non de cerebri et sensuum organis anatomia; Ill. *Horn* de pathologia et therapia generali et speciali morborum mentis; Cel. *Eck* de pathologia et therapia generali; Ill. *Osann* de materia medica nec non de doctrina de fontibus soteriis Germaniae; Ill. *Wagner* de pathologia et therapia speciali; Ill. *Kluge* de elementis artis obstetriciae; Cel. *Casper* de morbis infantium; Ill. *Bartels* de Hippocratis aphorismis; Ill. *Rust* de chirurgia generali et speciali, una cum doctrinis de morbis oculorum et syphiliticis; Ill. *Juengken* de cognoscendis et curandis oculorum morbis; Cel. *Dieffenbach* de herniis. Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis atque obstetriciis virorum Ill. *Bartels*, *Busch*, *Dieffenbach*, *de Graefe*, *Hufeland*, *Osann*, *Rust*, *Wolff* interfui.

Quos omnes praeceptores illustrissimos, clarissimos, doctissimos pio animo venerabor.

Jam, tentamine philosophico medicoque nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Laparotomia in intussusceptione interdum indicata.
2. Notiones Synochae et Synochi strenue discernendae sunt.
3. Divisio morborum cutaneorum secundum solam formam externam parum apta est.
4. Exploratio vaginae duobus digitis non instituenda.
5. Medicus ipse grave remedium.